

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Flavius Vegetius De Re Militari.

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

[CCLXXXIII]

plane conditoribus ad nepotes pervenerunt Frontinus, Vegetius, Helianus, ac Modestus, qui veluti quadriga per militarem campum latissime decur- runt, omnesque militia meandros cum laude ingrediuntur. Hos ego nuper- rime relegi, emendavique, Mine mi eruditorum nobilissime, in Ponticula- no tuo feriatus, quo saluberrimo secessu nihil amoenius, nihil magnificen- tius, nihil pulchrius novi. Adeo ut Laurentinum Plinianum, ut villa Lucul- lianæ, ut prætoria omnia a luxuriosis ædificatoribus magnificenter exstru- Æta cum Ponticulano Rosciorum comparari vix mereantur. Te beatum mer- itissime nuncupant, cui res adest & virtus. Hosce igitur doctores rei bel- licæ luculentos in contubernio tuo, quo nil dulcius, emendatos impressori e vestigio dedi sub tuo nomine publicandos; quorum eruditio non protrita, quorum lectio oppidoque erudita est. Qui non minus utiles futuri sunt pal- lentibus in umbra scholasticis, quam coloratis sub dio bellatoribus. Quos tu, quæso, quum vacabit, ne sp̄reveris vel transeunter inspicere. Vale, & Philippum tuum ama mutuiter.

F L A V I U S V E G E T I U S
D E R E M I L I T A R I.

*Joannes Sulpitius [1] Verulanus Petro Paulo de Comite
Juveni generoso & strenuo S.P.D.*

CHARI discipuli fidus præceptor non facile oblitiscitur, Petre Paule. Durat enim mihi adhuc illa tui instituendi & quascunque ad te or- nadum subministrandi solicitude. Quare ad discendum rursus te revoco, non Poeticen, aut Historicen, aut Oratoriæ, ad quas tibi plurimum hæc lectio proderit, sed ipsam militarem disciplinam, in qua te sub peritissimi fratri tui Jo: Baptista & monitis & auspiciis haec tenus exercuisti, & jam sub Nicolao Ursino Suane Comite sororio tuo auspicatus exercebis. Ut nihil igitur quod ad eam callendam est opus desideres, tres de ea re scri- ptores egregios, quos nuperime recognovi, Vegetum, Ælianum & Fron- tinum simul coniunxi, & ut emendatissimi in tuas & in aliorum manus venirent effeci. Videbis in primo, qui verborum novitate & castrensis verbis persæpe utitur, omnem rei militaris scientiam ex maximis optimis- que auctoribus in perspicuam brevitatem enucleatam, quæ te excitatum, solerter, audenter, cautumque reddet. Alter pugnandi & acierum instru- endarum sic te scientiam edocebit, & tantum sic tibi animorum hæc le- ctio adjectura, ut non dubitem, quin clarissimi Patris, Fratrisque tui illius simillimi vestigia imitatus in præstantissimum virum sis evasurus. In tertio autem exemplorum id genus tantam copiam lecitabis, ut etiam disertum in re militari sit te redditura. Vale.

[1] Verulanus mentionem ingerit Michael Fer-
nus in Præf. ad Eleg. & Epigram. Jo. Anton.
Campani, illumque inter strenuissimos Academias

Romanæ commilitones conlocat. Vide Bailettum
Jugem. de Scav. Vol. II, pagg. 327.

